

14.  
CONGRATVLA-  
TIONES AD SEX ORNA-  
TISSIMOS IUVENES

HIERONYMV M SCHALLERV M VVITEBERG.  
ERNESTV M SONERV M NORIBERGENSEM.  
HENRICV M FABRICIV M NORIBERGENSEM.  
SIGISMVNDV M GOTTV M HERSPRVCCENSEM.  
IOHANNEM SCHLAVEGIV M NORIBERG.  
PHILIPPV M COTGA BERBACHENSEM.

*Quibus in inclyta Noribergensium Academia Altorphina à  
clarissimo viro, D. D. NICOLAO TAVRELLO,  
Philosophia & Medicina Professore, tum tem-  
poris Decano spectatissimo, primus Phi-  
losophia gradus decernebatur.*

A N N O 1592. 22. Decembris.

*Scripta ab Amicis.*



ALTORFII,  
TYPIS CHRISTOPHORI LOCHNERI,  
TYPOGRAPHI ACADEMICI.

M. D. XCII.

CONGRATULA

TIONIBUS AD SEXORIAM

TISSIMOS IVVENS

HIERONYMUS DE ALIIS W. 1710

ALBERTUS DE ALIIS W. 1710

HEINRICH FABRICIUS NORIMBERG

JOHANNES GOTTFRIED NORIMBERG

JOHANNES SEBASTIANUS NORIMBERG

HEINRICH GOTTFRIED NORIMBERG

ALBERTUS DE ALIIS W. 1710

ALBERTUS DE ALIIS W. 1710

ALBERTUS DE ALIIS W. 1710

ALBERTUS DE ALIIS W. 1710

ALBERTUS DE ALIIS W. 1710



ALBERTUS DE ALIIS W. 1710

ALBERTUS DE ALIIS W. 1710

ALBERTUS DE ALIIS W. 1710



*Ornatissimis 6. Iuuenibus,*

Hieronymo Schallero V Vitebergensi,  
Ernesto Sonero Noribergensi,  
Heinrico Fabricio Noribergensi,  
Sigismundo Gotto Herspruccensi,  
Iohanni Schlavegio Noribergensi,  
Philippo Cotgæ Berbachensi.

DE PRIMO PHILOSOPHIÆ GRADV  
gratulatur:



*N*lla cupidineis est aptior ignibus etas,  
Nulla voluptati dedita turba magis,  
Quam iuuenum, quos paruus Amor, quos  
grata voluptas  
Plerosq, illectos sub sua iura trahunt.  
Conditio miseranda tamen satis hos, tetra  
fama

Corruptela bona pernitieq, manet.  
At qui Musarum castis operantur in hortis,  
Et quibus Aonij numinis ardorine est,  
De tot millenis vix cernitur vnus & alter,  
Et nostro seculo rara avis esse solet.  
Quos tamen ire iuuat, ratio quo precipit ire,  
Quos iuuat Aonidum splendida castra sequi,  
Dic, hos Pieridum decus immortale vocari  
Commeritos quisnam quaeso negabit iners?

*Hos adamant, omnes, mirantur, honoribus augent,  
Horum pulchra virum fama per ora volat.  
Fama per ora volat, quam non delere vetustas  
Tabida, vel tristis mors abolere queat.  
Vnde etiam seni Iuuenes pietate decori,  
Virtutum donis ingenioq; pares,  
Vestro iam confert meritissima dona labori,  
Taurellus Medicus clarus itemq; Sophus.  
Atq; comas lauro cingit, quæ præmia certè  
Ad maiora quidem calcar habere decet.  
Enucleata satiq; elementa relinquit tandem  
Fontes lustrantes sedulitate pari.  
Sic maiora olim Meritis quoq; præmia vestris  
Obtingent, sic vos posteritasq; canet.  
Quod superest, DEVS hosce novos fortunet honores,  
Et vos hunc studijs multiplicare pijs.*

M. Michael Piccardus. Noribergen.

## ODA GRATVLATORIA

ad

HONESTOS ET ERVDITOS SEX IV.  
venes primum Philosophiæ gradum adeptos.

**F***Rustra Dardanidæ Troia mænia  
Aduersus Danaos presidio Heëtoris,  
Quamvis ipsa Venus Cypria opem ferat,  
Defendunt sine Pallade.  
Nil robur validum, si sapientia  
Non adsit, valet, & diuitia, licet  
Et Cræsi superent & fatui Midæ  
Non sano ingenio mala.  
Vrbes turrigeras non sapientia  
Solers constituit? bellag; tristia  
Annon sustulit?annon studia inclyta  
Musarum modulantium*

Confer-

Conservat? Sapiens singula perspicit  
Divino ingenio: visa pericula  
Prudens antè vitat: Consilijs bonis  
Pellit damna nocentia.

Riphaeo propior maxima civitas  
Cælo, metropolis splendida Norici,  
Sic præstat reliquis & sapientia  
Et virtutis honoribus.

Sicut nocte micans menstrua Cynthia,  
Phæbeæq; soror lampadis æmula,  
Stellis præ reliquis lucida cornua  
Ostendit iubar igneum.

Hinc pax, divitiæ, justitiæ simul  
Fructus proveniunt, cumq; potentia  
Durans perpetuò gloria nobilis,  
Et virtus simul incola.

Tutus bos alitur per nemus in vium,  
Largiturq; Ceres pingua semina,  
Mercatorq; vagus per mare cursitat  
Vectans Indica aromata.

Quæis multis resonat malleus ictibus  
Circum aures, faciunt ancipites spathas  
Tuti, quæ apperiunt fortia pectora,  
Turcæ quasq; vorent truces.

Hæc cur commemoro, quum potiora adhuc  
Restent? Aonidum turba venustula  
Castos nonne vides ut juvenes docet  
Urbis præsidio inclytæ?

Nam sicut glaciens tegmine contegit  
Pullastros teneros, sedula vultures  
Observans avidos, & sobolem fouens,  
Nocturni vigilis soror:

Sic qui Palladijs Norica mœnia  
Custodes populi consilijs regunt,  
Cœtum Pegasidum cum studiis sacris  
Conseruant ope divites.

Hinc prodit juvenum florida copia  
Qui scandunt avidè in Thespiadum juga,  
Et qui labra rigant fonte coralina,  
Quem fodit pedis ungula.

Et sicut rosèis ex apiariis,  
Quèis mel conficiunt Dædala apicula,  
Prodit sæpè alacris turbajuvencula,  
Cogens mella tenacia:

Insignis schola sic gloria Noricæ  
Telluris quoties ingenia optima,  
Ac excultaparit moribus optimis,  
Præclaris simul artibus.

Ex quorum numero vos juvenes quoq;  
Qui vidistis Iò Thespiadum loca,  
Vicistis salebras saxag. scrupæ:  
Omnes voluite gaudia,

Ac vestris studiis debita præmia  
Sumatis hilares. O nitidum diem,  
Quo vobis patuit janua proxima  
Virtutis domui sacræ.

Nunc summis studijs ad sacra culmina  
Parnasi bifidi scandite, scandite,  
Non hic in medio sistite tramite:  
Vos majora manent bona.

Ioannes Burcartus V. Veissenburg.

Ad eosdem.

Signiferum quoniam repetito Phæbus Apollo  
Pexlusit transcursu, volvit ab axe diem,

Quo solet Aonijs referari janua Musis  
Altorphi, moneor ne cetera verba modis.  
Nectere verba modis, fratrum laudes & honores  
Carmine, quos capiunt, concelebrare meo.  
Vt vero caeptum valeam finire laborem  
Rectius, orabo suggerat omne DEVS.  
Ergo DEVS cali terraeq; Monarcha supreme,  
Effice, quo possint pondus habere preces.  
Sis mihi scribenti caelesti praesto favore,  
Nec non divino Flamine cordarege.  
Vt metricis quaecunq; modis coniunxero verba,  
Ad laudem cedant nominis usq; tui.  
Nutu namq; tuo sine nullum Helicone poëma  
Nascitur, haud magnum venula robur habet.  
Vnde DEVS facilis caeptum rogor ite secundans  
Hoc opus, expedias pro bonitate tuâ.  
Nunc ergo ingrediar solito de more sodalis  
Primitias lauri condecorare sacra.  
Vos docti iuvenes Clary fastigia collis  
Scandentes, vigiles grande subistis onus.  
Vos spretis remoris Parnassi culmen adistis,  
Ingressi salebras praecipitesq; vias.  
Nil fuit excelsum quod non superare petistis,  
Nil durum, studij quod renuebat amor.  
Aonijs quoniam pariter sudastis in agris  
Intentis nervis viq; labore pari,  
Aonidum cupiunt salso sudore levatis,  
Nectar & Ambrosiam suppeditare chori.  
His ritè effectis arridens mandat Apollo  
Vt Musa dignis laurea ferta parent.  
Vnanimis properant Phæbo mandante sorores  
Solenni Lauro cingere more comas.  
Dotibus his cupiunt docta donare Camenæ  
Iugiter intentos nocte dieq; libris.

Hinc

Hinc lingua florent, claræq; Machaonis artes,  
 Artes inventum præses Apollo tuum.  
 Hanc Sophia Laurum schola jussa ab Apolline summo  
 Confert, & studijs præmia digna refert.  
 Comptis inq; comis velut hæc viget, ecce virescit  
 Sic omni vobis tempore, fama & honos.  
 Inducunt veluti tinctores sæpe colorem  
 Quem censentq; viros non reprobare graves.  
 Sic animos vestros intingitis artibus istis,  
 E quibus elucent gloria, nomen, honos.  
 Gloria virtutem vestram sectatur, ut umbra  
 Corpora perpetuus ceu comes insequitur.  
 Vt face succensâ capiunt nocturna lucernis  
 Lucem, caligo defluit atq; perit:  
 Sic animis vestris omni vir laude vehendus  
 Nunc aufert tenebras contrâ adhibetq; faces.  
 Sed quia tempus adest, Taurellus clarus in arte  
 Doctör Apollineâ, dux columenq; scholæ,  
 Quo vos præstantes juvenes, pietatè gravesq;  
 Ritè Bacillares prædicet, ornet, amet:  
 Officij reor esse mei conjungere votis  
 Vota, meis precibus jamq; juvare preces.  
 Surgentes vobis juvenes congrator honores,  
 Quo maneant patrium gaudia tanta solum.  
 Gratanti voto vobis dat patria laudes,  
 Dum culti patrios visitis arte lares.  
 Gratanti dant voce sonos patres & amici,  
 Dicentes, nostrum surgit ad astra decus.  
 Nostra domus firmis nunc est innixa columnis,  
 Illi etenim nobis prospera fata ferent.  
 Nunc igitur prætermittens encomia, paucis  
 Concludam, titulis fausta precando novis.  
 Sumite vos juvenes Sophia dulcissima dona  
 Vnanimes: cunctos laurea fërta decent.

*Sumite fragantes quas vobis tempora cricum  
Frondes, consueto more Decanus agit.  
Sit sibi quisq̄, suâ contentus sorte locoq̄,  
Muneris oblato letus honore pari.  
Sic vestris DEVS aspiret titulis & honori,  
Et faciat vestrum crescat ut vsq̄ decus.  
Sic DEVS omnipotens encomiarite secundans  
Doctrinae & mōrum signa probata iuuet.  
Hos placido versus animo fratres & amici.  
Susceptos aliquod pondus habere date.*

Faciebat Altorphij Noricorum τῆσ φιλαδέλφια  
ἐνεκα συντροφίαι & contubernalibus suauissi-  
mis xvii. Cal. Ian. Anno cIo io xcii. Da-  
niel V Wagnerus VVindes-  
hemius.

AD ERNESTVM SONERV M.

**M**usa mihi rursum gratos ostende fauorēs  
Sunt agili quaedam pauca canenda chely.  
Scilicet ut quaedam studiis concordia iunctis,  
Ars dempta alterius nil agit artis ope.  
Sic animus semper coniunctus, crede, tibi, quod  
Hic simili studio tempora fallo mea.  
Sunt quos signa iuuant, sunt quos fulgentia scuta,  
At te Musarum candida castra iuuant.  
Nulla fides pietasq̄, viris qui castra sequuntur,  
Inquit Lucanus, noxia quæq̄, parant.  
Da veniam Musæ, rogo, si fortaassis aberrat  
Cantando laudes non bene docta tuas.  
Parnassi cultu primo cum scandere montem  
Mens erat: aduersus prælia Notus agit.  
Horruit obscuros mens Ponti findere fluctus:  
Nam facies rerum tristis ubiq̄, fuit.

B

Incubere

Incubere mari rabidis tunc flatibus Euri,  
Atq; bibit salsas percita puppis aquas.  
Venit at auxilio rebus DEVS ipse: labantes  
Erexit vires: præmia dixit habe.  
Portum cymba petit, cessavit dura procella;  
Tunc Erneste tibi parta labore quies.  
Ex hederis cinxere tibi tua tempora circum  
Pimpleides: palmam pandit Apollo pius.  
Siccine qui primis capiunt elementa sub annis  
Ad culmen veniunt semper ab inde virens.  
Ergo iure gradu, fateor, donatus honesto  
Quod probat ingenium cõprobat atq; decus.  
Linq̃ cum robur superet tua gloria nostrum:  
Tu quo digressus sermo fauoris abi.  
Te bene formarunt abeunte etate parentes;  
Semper iusserunt inuigilare bonis.  
Surgat in excelsos Academia tota triumphos,  
Quod poteris patrijs utilis esse focis.  
Fac pergas studio semper (modo vita supersit)  
Vt per te vigeat relligionis amor.  
Quo nihil est, credas, vasto præstantius orbe;  
Illius a seendit laus super astra poli.  
Pergas complecti pergratas Pallados artes,  
Euoluas mira sedulitate libros.  
Omnia per vitam scrutentur scripta Sophia,  
Incumbas studijs secula multa precor.  
Sint Noribergiaci Mecanatesq; Scholarchæ,  
Sint tibi fautores, sint alimenta Scholis.  
Non deerunt illis præstantes semper in urbe,  
A quibus & Christi glorificetur honos.  
Nunc Erneste mea studiosa es uoce monendus,  
Immo exorandus voce precante simul  
Vt grandem de te conceptam augere velis spem  
Abs te speratam, lucra q; ferre domum.

Quod

*Quod si praestiteris (facturum ut credo profecto)  
Hoc patri poterit gratius esse nihil.  
Iamq; Erneste vale, seruet te gratia Diui  
Saluum, conseruet prosperitate dies.  
Tu qui fortassis melior vel fortior alter  
Ingenio: nunc hac pro bonitate cape.*

Ioannes Sigismundus Brechtius Hoen-  
vvartensis Boius.

A D  
HENRICVM, M. HENRICI  
FILIVM, FABRICIVM, NORIBER-  
GENSEM, MENSÆ ET HABITATIONIS  
socium: primum honoris Philosophici  
gradum, in Academiâ Noricâ,  
consecutum;

ΕΥΦΗΜΙΑ.

**V**T bellator equus, claro tuba Martia quando  
Increpuit sonitu, stimulis nihil indiget vllis,  
Sponte suâ currit, palmæ laturus honores:  
Illius at subdas lateri si calcar acutum,  
Fortius urgebit gressus, quatiensq; decoras  
Inflexâ cervice iugas, contingere metam  
Gestiet optatam. Sic hi, quibus indolis altæ  
Vis generosa subest, indagine Pallados artes  
Per sese vigili tractant, ac mente recondunt  
Thesuros Sophiæ: quorum si corda peritus  
Accendas monitor, precio virtutis, honore,  
Acrius insistent operi, nec mille labores  
Ferre recusabunt, donec se debitus ornet  
Laudis apex, & fama, omnem celebrata per orbem.  
Hoc dux ille modo, (Grajis defensor Athenis  
Qui datus, inflatum vicit Perseidos ora

Navali Regem pugnâ, patriosq; coëgit  
Rursus adire lares Xerxem tu conscia facti,  
Tu testis, Salamin) crebro sermone ferebat:  
Se, quos Miltiades retulisset ab hoste, triumphis,  
Ac, positus per eum, monumentis, munere somni  
Fraudatum, solita noctu vix posse quieti  
Tradere membra prius, dignum quam laude quid ipse  
Gessisset. Tantum magnorum clara virorum  
Facta valent. Sed, ubi passim vilescere doctæ  
Incipiunt artes, Musarum diareperta,  
Frena remittuntur studiis, ac pristina languet  
Ingenij cura, ut rarus penetrata sanctæ  
Invisat cultor Sophiæ, sudare palæstrâ  
Nec juvet Aoniâ quemquam. Quia, Gloria, Merces  
Virtutis Solida, si sit detracta, quid ultra  
Restat? ut idcirco tot conficiamur acerbis  
Sollicitudinibus, spacio tam debilis ævi.

Te verò, FABRICI; teneris qui semper ab annis  
Sponte tuâ fueras Phæbumq; novemq; Sorores  
Amplexus, titulis Phæbusq; novemq; Sorores  
Iam cumulant, & honore novo sollemniter augent.  
Iam tibi leta seges maturis flavet aristis:  
Iam metis insignes operarum divite fructus  
Proventu: jam, qui fuerat quam maximus olim,  
Omnis amaror abest studiis; at commoda contra  
Te jucundi manent, & cursu digna brabeia.

Vt te, post varios casus, & iniqua laborum  
Tædia, frondenti velatum tempora lauro,  
Accipio, agnoscoq; lubens, HENRICE decorem  
Ac tibi quæsitum, gratanti comprecor ore,  
Felicem fieri, Superumq; favore beari.  
Gloria, calcar habet: calcari concitus isto,  
Vlterius contende, suas industrius ardor  
Nec ponat vires unquam, nec fortè remittat:

Donec

*Donec erit tempus, cum, te, venerabile docti  
Exemplum Patris, & vestigia fida secutum,  
Auspiciis cernam majoribus ire. VALETO.*

*Georgij Mauricij, V Vitebergensis,  
Saxonis.*

AD SIGISMUNDVM GOTTVM.

**N**on Bacchus, non fadus Amor, non ocia nomen  
Turpia perpetuum, luxuries ve parit.  
Nullaq; vinosus, scortator, lurco meretur  
Præmia, tum cuius caula sit aula pigro.  
Quem virtutis amor, doctrina splendor honestis  
Commendat, capit hic præmia iure suo.  
Hunc morum probitas, hunc multa scientia, multa  
Sedulitas doctis iungit ubiq; viris.  
Hunc Animi ob dotes laudant iuuenesq; senesq;  
Hunc manet æternum nescia fama mori.  
Me verum dixisse patet charissime Gotte,  
Gotte, animi semper portio magna mei,  
Exemplum docet hocce tuum, Taurellus honorem,  
Cui Baccillarj maximus arte dabit.  
O te felicem qui nil cunctatus amar am  
Radicem, illius mellea dona capis.  
Mellea dona capis quæ frigida Bruma, vel æstus  
Fervidus haud perdet, mors rapiet ve tibi.  
Parnasi pergas audax transcendere culmen,  
Quamuis multa quidem sint superanda tibi.  
Nil moueare malis, sed contra audentior ito,  
Sic poteris titulos amplificare tuos.  
Sicq; Magisterij quondam impetrabis honores,  
Sic poteris doctos inter habere locum.

M. Michael Piccardus.

A D S I G I S M V N D V M G O T T V M

Herspruccensem.

**V**illicus ex agris vario cum scenore fructus  
 Ut ferat, & tuta vivere mente queat,  
 Non Veneri Bacchove studet, non ocium inane  
 Sectatur, sed agrum sedulitate colit,  
 Excolit, evellit lolium sentesq; vepresq;  
 Vomere scindit agrum, semina mandat humo:  
 Sic quem ducit amor Musarum pulcher, honestis  
 Cuius & in studijs stat sine fine labor;  
 Blanda voluptatis vestigia nulla secutum  
 Nec Bacchus frangit, nec Venus ipsa movet.  
 Noctes atq; dies plumis ignavus adheret,  
 Heluo te Venerem, te quoq; Bacche colit.  
 Sedulus econtra studijs affixus honestis,  
 Scripta legit magnam nocte dieq; virum.  
 Quin etiam varias tentat perdiscere linguas,  
 Ut doctos inter possit habere locum.  
 Nil hunc absterret, lolium quin vellat amarum  
 Cum vepribus densis, aspera nulla timet.  
 Dura licetq; obstant, it contra audentior ipse,  
 Concipit in solo spemq; fidemq; Deo.  
 Ac ventura sibi proponens premia, curas  
 Spe levat, & certa spem ratione regit.  
 Premia quanam ea sunt? bona fama, decusq; perenne,  
 Premia quae vulgi sunt meliora bonis.  
 Talia Gotte capis Taurello dante Decano,  
 Imponente tuis laurea ferta comis.  
 Iure tuo, quoniam Musarum castra secutus,  
 Delicijs mundi nil remoratus, eras.  
 Provenit hic tanto merces tibi digna labore,  
 Dulce tibi radix germen amara tulit.  
 Hunc ut praclare meritum tibi grater honorem,  
 Id nostrae cultus poscit amicitiae.

*Id patria vna quidem poscit, quae protulit ambos,  
Suadet idemq, tui pectoris arctus amor.  
Principijs maecte ergo bonis imitare parentem,  
Cum studijs paribus, cum pietate pari.  
Et veluti ventis vires agitata sonoris  
Flamma capit: calcar sic gradus esto tibi.  
Ut tentes fructus studiorum acquirere quondam  
Maiores, tua sic fama superstes erit.*

Iohannes Zunnerus Herf-  
pruccensis.

FINIS.



Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

